



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

De caritate ipsius in Deum. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

nam vt in eloquentiæ studio, cum & ars, & vsus ipse sit necessarius, longe plus tamen à sapientibus viris vsui quàm præceptioni tribuitur; sic in parandis virtutibus cum & commentatio, & actio requirantur; multo plus tamen agendo & pugnando, quàm speculâdo vel cogitando proficitur.

De caritate ipsius in Deum.

Cap. III.

Caritate in Deum fuit, quanta par est cum esse, qui ipsius Dei gratia rebus humanis nuntium sponte remisit. neque solus etenim Dominum amabat, vt præ illo reliqua omnia nihili duceret, quæ virtutis huiusce præcipua est pars; verum inerat in amore voluptas mira: prorsus vt quantislibet pressus curis, ac molestijs fatigatus, in vnus Dei recordatione, & quasi amplexu, per summam delectationem acquiesceret. Christum vero Dominum ac liberatorem videndi sicuti est, tanta flagrabat cupiditate, vt eam ipsam obrem solui corporis vinculis vehementius in dies optaret. Itaque si quando gra-

graviorem incidisset in morbum; concepta migrandi spe, abstrahatur illico à sensibus non sine magno valetudinis detrimento: quocirca mentem à caelestibus rebus interim auocare etiã atq; etiam iubebatur à medicis. & quoniam acerbissima Christi mors pro salute humani generis obita Ignatio sæper obuersabatur; vicissim ille p̄ Christo per summos cruciatus quotidie cupiebat emori millies. Quoties vero ingesta in illum conuitia & ludibria reputaret apud se; non modo rei atrocitate permouebatur vt multi, sed etiam accendebatur generoso quodam imitandi studio; atque in semetipsum quasi tanti sceleris auctorem acerrime exardescibat: ac nisi eum cohibuisset existimationis ratio propter salutem aliorum; simulata demētia, ad plebem in se concitandam, nudus onustusque cornibus, aut alio foedo corporis habitui prodire non dubitasset in publicū; & incessentes cœno vel stercore pueros, vocesque improbas, & sputa, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias libentissime pertulisset. Sed

S quo-

quoniam eiusmodi nulla se dabat occasio, certè quod erat proximum sedulo faciebat, vt immortalia Domini beneficia in se, memoria coleret sempiterna, & in eiusdem vel indaganda voluntate, vel gloria quærenda, suas omnes curas cogitationisq; consumeret. cuius rei vel hoc satis magno argumento fit. Inter ipsam negotiorum molè perditas meretriculas tanto studio conabatur ab impuritate auocare, vt si qua ex ijs resipisceret, seque intra pudicitia septa recipere vellet, grandis iam natu vir, & Præpositus Generalis, antecedere ipsemet, ac perductoris quodammodo munere fungi, Christi causa nõ erubesceret. In quo cum admoneretur à quibusdam, frustra tempus ac laborè infumi, quippè insanabiles esse eiusmodi feminas, ac licet in præsentia poenitentiam ostenderent, breui tamen ad ingenium redituras: Ego vero, inquit ille, cuiuslibet istarum, vnus dumtaxat noctis impedisse flagitia & iniurias in Deum, omnis operæ ac vigilantia pretium duxerim.

De